ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

Vir Nobiliss.

Sub finem Augusti tuas accepi, cum adjunctis epistolis Mer-
senni, et Mancurij: quas tota quindena repetivi, ut mentem Homi-
nis rite assequerer. Interea incidit me Magister Capellae Reginae
Angliae D. Robert, afferens commendatitias a fratre Bruermanni
post Kalend. Septemb. aliquid gratitudinis tandem mihi debentis
pro illa mea epistola sorori ante biennium inscripta. Is a D.º
Bloc D.no Amstelodamensi in domum meam ductus, rogavit ut
de Musica liceret disserere, cujus ille mirandam ideam e
literis ad Bruermanniam, et doctorum virorum narratione sibi
impresserat. Duxi illum ad Bibliothecam, exhibui monochor-
da triplicia, explicui demonstrationibus partes rei Musicae;
primum intervalla simpliciter considerata in systemate per-
fecto: deinde consonantias. In utriusque facultates proprias
flexanimas prodidi. Deinde diversitatem vocis gravis, et acu-
tae, hoc est, intensionem, et remissionem intervalli, cum speci-
ali sua potestate explicui. Tum tempus, et numerum, vocis
formata discriminatricem vim ac virtutes, exposui. Ille in
omnibus obstupescebat; et vel eo magis, quod singulorum
periculum aures facerent, requirunt ~~et~~ rationem sensum ac
mentis unice; hoc est in eundem veritatis conceptum repere.
Descendimus ergo in atrium inferius, ubi adhibito Clavi-
cymbalo dubia mota enodavi: deinde adhibita Testudine
(quam ille dextere tractabat) easdem aliasque difficultates
ipso rogante, explicui. Actum est etiam de linguarum ac-
centibus in cantu observandis. Primo ostendi omnem lin-
guam, ejusque pronunciationem fore confusam et indistinctam
nisi accentus adhiberentur verbis, et syllabis. Quo dicto
replicuit, aliquid speciale esse in lingua Gallica, quod
ille satis explicare nequibat ad captum meum. Ideoque
cum diceret mihi potius abstinendum a lingua Gallica
ad modulationem usurpanda, asseverabat ille praecipuam
adventus sui rationem esse, ut ejus rei me moneret: nimi-
rum quod Galli modulationes meas ex scientia et arte
exactissimas, propter malam et adulterinam sua linguae pronuncia-
tionem, ignoranter et insulse damnarent. Replicui
itaque aliquot quaestiones de accentibus linguae Gallicae,
ad quas sic respondit, ut inde aliquas regulas accentuum statuerem.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bannius) 26
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3155

nimirum, accentus quosdam esse fortes, quosdam temperatos:
et de iis, quosdam ipsis verbis singularibus; quosdam certo
verbo cujusvis periodus praedominanti servire; scilicet in quod
spiritus pronunciationis fertur. v. g. cum dicitur: Vae
schreyende vont! accentus cadit in hoc vont: sicut verba
adorable, majesté, et his similia habent accentus proprios.
His auditis petiit a me ut de tempore Rythmicum Galli-
cum modulationi Flexanimae (cujus exemplum vides) apta-
rem. Feci istud, et in singulis articulis rationes meas attuli;
quas ille attente audiebat et satis studiose menti imprime-
bat. Tum suam modulationem ad testudinis concentum praebu-
it auscultandam: et in singulis articulis, quid legibus Mu-
sicae Flexanimae adversaretur, ipso percunctante docui.
Gratias agebat humanissime, et ut easdem excuderem,
ad opportuniorem ratiocinationem, instructionemque, instan-
ter rogavit. Librum de cantu a se conscriptum offerebat
meae censurae antequam ederetur examinandum. Addixi
operam meam, quam hac septimana illi impendam; intra
paucos dies tibi dicturus cujus rei eventum, et quod Ex.ae Ma-
norum exponam. Interea hanc Anglicam modulationem
tibi conservatam accipe: Italicam, Belgicamque ejusdem
argumenti postea pro opportunitate expecta. Vale, et
conatus meos amplius adjuva. Harlemi XVI kal.
Octob. CIↃ.IↃC.XLII.

Tuus servus

J. Alberts Bannius
Presb.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bannius) 26
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3155

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bannius) 26
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3155

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bannius) 26
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3155